

PSALMUS 31

31 : 1 **IPSĪ DĀVĪD INTELLĒCTUS: Beātī quōrum remissae sunt
inīquitātēs, et quōrum tēcta sunt peccāta.**

To David himself, understanding. Blessed are they whose iniquities are forgiven, and whose sins are covered.

31 : 2 **Beātus vir, cui nōn imputāvit Dominus peccātum, nec est in
spīritū ejus dolus.**

Blessed is the man to whom the Lord hath not imputed sin, and in whose spirit there is no guile.

31 : 3 **Quoniam tacuī, inveterāvērunt ossa mea, dum clāmārem tōtā
diē.**

Because I was silent my bones grew old; whilst I cried out all the day long.

31 : 4 **Quoniam diē ac nocte gravāta est super mē manus tua,
conversus sum in aerumnā meā, dum cōnfīgitur spīna.**

For day and night thy hand was heavy upon me: I am turned in my anguish, whilst the thorn is fastened.

31 : 5 **Dēlictum meum cognitum tibi fēcī, et injūstitiam meam nōn
abscondī. Dīxī: Cōnfitebor adversum mē injūstitiam meam
Dominō. Et tū remisistī impietātem peccātī meī.**

I have acknowledged my sin to thee, and my injustice I have not concealed. I said: I will confess against my self my injustice to the Lord. And thou hast forgiven the wickedness of my sin.

31 : 6 **Prō hāc orābit ad tē omnis sānctus in tempore opportūnō.
Vērumtamen in diluviō aquārum multārum, ad eum nōn
approximābunt.**

For this shall every one that is holy pray to thee in a seasonable time. And yet in a flood of many waters, they shall not come nigh unto him.

31 : 7 **Tū es refugium meum ā trībulātiōne quae circumdedit mē;
exultātiō mea, erue mē ā circumdantibus mē.**

Thou art my refuge from the trouble which hath encompassed me: my joy, deliver me from them that surround me.

31 : 8 **Intellēctum tibi dabō, et instruam tē in viā hāc quā gradiēris;
firmābō super tē oculōs meōs.**

I will give thee understanding, and I will instruct thee in this way, in which thou shalt go: I will fix my eyes upon thee.

31 : 9 **Nōlīte fierī sicut equus et mūlus, quibus nōn est intellēctus. In
cāmō et frēnō māxillās eōrum cōstringe, quī nōn
approximant ad tē.**

Do not become like the horse and the mule, who have no understanding. With bit and bridle bind fast their jaws, who come not near unto thee.

31 : 10 **Multa flagella peccātōris; spērantem autem in Dominō
misericordia circumdabit.**

Many are the scourges of the sinner, but mercy shall encompass him that hopeth in the Lord.

31 : 11 **Laetāminī in Dominō, et exultāte, jūstī; et glōriāminī, omnēs
rēctī corde.**

Be glad in the Lord, and rejoice, ye just; and glory, all ye right of heart.